



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Iosephi Vicecomitis Ambrosiani Collegii Doctoris
Observationes Ecclesiasticæ In quo [!] de Antiquis
Baptismi Ritibus, ac Cæremonijs agitur**

Visconti, Giuseppe

Parisii, 1618

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64585](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64585)

A D L E C T O R E M.



EX Ambrosiani Collegij, cui ipse adscriptus sum, studis cum sacrarum observationum provincia mihi Fundatoris iussu obrigisset; ad scribendos libros, simili in materia versantes, animum appuli; eoque libentius id muneris suscepi, quoniam videbam, innumeros propemodum Auctores Idola colentium ritus libris editis lectorum quodammodo oculis subiicisse: religionis vero Christianæ ceremoniarum disciplinam, ad hanc usque ætatem, vel omnino iacuisse, vel certe exiguum habuisse lumen orationis, Quocirca cœpi egomet mecum sic cogitare: scilicet gentium vanis superstitionibus obnoxiarum sacrificia, foci, & ara nobis cognita, perspettaque erunt: septem vero rerum sacrarum, ac præsertim Eucharistiæ mysteria, quæ ve ritus in us peragendis seruari solerent, in obscura nocte versabuntur, Romanos Magistratus, Dictatorem, Consulem, Prætorem, aut Ædilem creandi ius ad quos pertineret, in puerorum scholis decantabitur, Catholicæ autem religionis Pontifex, Cardinales, Episcopi, & reliqui Ecclesiastici ordinis à quo, vel qua ratione eligerentur, inuestigare, nil pensi habebimus: virgines Vestales, ludos Apollinares, Lupercalia, lustrationes ac cætera priscorum veri Dei cultum ignorantium deliramenta quis, aut quomodo instituerit, nosse stu-

debimus: Christianarum vero mulierum, perpetua
religione, ac castitate Iesu Christo addictarum,
solemnium dierum, eterno numini, aut Virgini ma-
tri, vel alij Diuo consecratorum, sacri funebri aquae
piacularis, & reliquarum Ecclesiae Catholicae care-
moniarum author quis fuerit ignorari patiemur.
Quae omnia nostris à scriptoribus eò vehementius
excitanda, & illustranda sunt: tum ne Gentilium
superstitiones magis, quam pijsimae istae consuetu-
dines nobis cordi extitisse videantur: tum ut veterū
Patrum, qui obscuris fidei orthodoxae mysteriis abun-
dant, lectioni prosimus: tum vero etiam ut transal-
pinos aliquot recte sentientis Ecclesiae caeremoniarum
irrisores, si modo earam antiquam originem, &
causas equo animo cognoscere voluerint, ab errore
reuocemus. Vale.